



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Martini Lvtheri Piae Ac Doctae Operationes In Dvas Psalmorvm Decades

Luther, Martin

Basileae

VD16 L 5540

Domine quid multiplicati sunt, qui tribulant me: multi insurgunt aduersum
me.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37005

Dauid autem egressus nudis pedibus, & operto capite, significat Christum eductum ad Golgatha, qui & ad literam nudis pedibus, & capite coronatus & sanguine uelato incessit, sed allegorice, Caput, diuinitas abscondita in infirmitate: Et pedes nudi, id est humanitas sola oino sibi relicta: Regnum eius ad urbem, occiso Absalom, Resurrectio Christi est: in peccatis mortuus tamen uicto populo synagoga, tunc enim percussa maxilla eorum, & de eorum contriti, ut psal. iste dicit, quod Christum amplius uorare non possunt, iam non amplius moritur. Dicit itaque

Domine quid multiplicati sunt, qui tribulant me: multi insurgunt aduersum me.

Fere idem scopus est huius psalmi cum precedente, similisque sententia: & hic incipit querela & uana aduersariorum Christi presumptione, & triumphante consolatione, dicens: Quonia tu percussisti, & dominus est salus tua. Nisi quod hic & re breuius & affectum patientis plenius tractat. Tria enim sunt, quae uehementer quatunt patientem: Solitudo, impotentia, desperatio, quas augere confortantque tria aduersariorum: Multitudo, potentia, fiducia. Ad solitudinem hominum & multitudinem persecutorum pertinet, quod dicit: Domine quid multiplicati sunt, qui tribulant me: Alioquin, nisi solitarius & derelictus esset, quomodo pateretur, quomodo tentaret, quomodo tangeretur: fultus uel equus uel maiore multitudine pro se certantem: Sicut diabolus sensit Iob, i. Non quod frustra Iob timeat deum? Nonne tu uallasti eum ac domum eius, uentumque substantiam eius per circuitum?

Ad impotentiam suam, & hostium potentiam pertinet, quod dicit: Multi insurgunt aduersum me, neque enim pateretur etiam solitarius, nisi infirmior a robustioribus opprimeretur: sicut Samson solus a Philisteis nihil pati poterat, quousque percussit. Quare generali canone obseruandum est, patientiam nullam esse esse, qui habet unde reddat & uindictam, aut unde resistat ne opprimi possit, uentumque enim patientis est, neque ulcisci, neque resistere posse.

Gravius autem est, insurgere, quam simpliciter tribulare: sicut grauius est esse inimicis potentem quam solitarii, & grauius hostem esse robustum ac inuictum quam multum. Ideo dicit illi stant, erigunt, firman, roborant, praeualent, confortati sunt super me. Ego autem nuto, cado, infirmor, prosternor penitus. Hanc enim illorum inuictam letentiam, & suam deiectionem, uerbo, surgunt, significat, quomodo & supra psal. ii. Astiterunt reges terre, eandem potentiam expressit. Verum ultra haec duo fortissime & extreme urget hoc quod sequitur.

Multi dicunt animae meae, non est salus ipsi in deo eius. Sela

Hoc certe Christus in cruce audiuit, confidit in deo, liberet eum nunc: si uult, sicut & psal. xxj. praedictum est: Omnes uidentes me, deriserunt me: locuti sunt labijs, & mouerunt caput: sperauit in domino, eripiat eum, saluum faciat eum, quoniam uult eum. Haec enim fiducia, illusio, irrisio: insultatio, Epimachon & encomium aduersariorum, tanquam de triumphato & desperato penitus inimico, extremum est & amarissimum tribulationis, si quidem cecidisse & occubuisse multis & robustis hostibus, tum primum atrocissimum est, quando spes resurgendi, etiam in